



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Sebastiani Henrici Penzingeri, Consistorialis
Passaviensis, Decani, & Parochi in Trauttmanstorff ad
Laitam Bonus Ordo Triplicis Formatae Concionis Moralis In
Omnia Festa Sanctorum In Amplissima ...**

Penzinger, Sebastian Heinrich

Solisbaci, 1698

Disc. XVI. Prædicamentum est genericum. Opera artificum deprædicantur
ubiquè locorum, Mariam S. Spiritus nominat Opus Excelsi. Eccles. cap.24.
erga ubiquè terrarum laudanda, deprædicanda est Maria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51763](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51763)

DISCURSUS XVI.

Omni laude dignissima est Virgo Maria.

Indubitatum est, quin omnes, quotquot in paradiso sunt, ^{Exordium;} sancti laude digni sint, non tamen omni laude, sicut dignissima est Dei Mater Virgo Maria. Sic S. Petrus meretur commendari, eò quòd ex cœlesti quodam instinctu Christi divinitatem confessione suâ, mundo manifestârit, verum tamen timore adactus eundem quoque turpiter negavit. S. Paulus Apostolus dignus est laude, utpote vas electionis nominis Jesu, Doctor gentium, & sonora Spiritûs S. tuba, sed persecutus est Ecclesiam Dei. S. Joannes Apostolus, ob virginitatem suam laudari meretur, utpote ob dorem sæculo rarissimam, nec non quia ipsomet Dei Filio, Matris suæ filius adoptivus declaratus fuit, at verò primarum sedium se ambitione ustum esse, haud obscurè ostendit. Præcursor Domini tantâ fuit laude dignus, ut ipsamet sapientia incarnata, ei se panegyristam exhibere non erubuerit, sed nec ipse dici meruit omni laude dignissimus, quia tametsi in utero materno sanctificatus fuerit, culpam tamen originalem contraxit: sola Virgo Maria sine maculâ originali concepta, ab omni labe præservata, vera Dei Mater omni laude est dignissima, quia nihil in eâ reperibile, quod imperfectionem sonet, aut vituperio subesse posset, unde non immeritò de eâ canit Ecclesia: *Felix es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiæ Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, & confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.* Laudem Mariæ debitam, quam quidem Deus ipse commendat, pro reverentiâ tamen primò omnium SS. Patres deponant. *O felix Maria, & omni laude dignissima! ô Virgo Dei Genitrix gloriosa! ô sublimis puerpera,*

- S. Augustinus.** *cujus visceribus Author cæli terræq; committitur!* exclamatur Augustinus. tom. 10. in Append. serm. de diversis serm. 83. *lingua centum resonarent, oraq; centum, ferrea vox mihi, Maria, nil dignum tibi dicere possum, stella maris, qua Beata Virgo vocaris,* panegyricè perorat S. Bernardus. serm. 2. super Salute Regina. *Quibus laudibus servitus hominum, reginam esset Angelorum? Qua præconia dilaret mortalis angustia, vel effusa subministrat, cui cælestia parent, & famulantur obsequia? Quam dignam honoribus, plausus hominum acclamabit in terris, quam spirituum agmina beatorum jugiter venerantur in caelis?* quærit admirandus S. Bernardinus Senensis. serm. 2. de SS. nomine Marix. *Perpendite, quibus laudibus digna sit beata & gloriosa Virgo Maria, qua illum nobis de castissimo suo visceribus genuit, qui nos de tam profundo gutture avidi draconis eripuit: ad ejus namq; digne efferenda præconia non rиторicorum diserta facundia, non dialectorum subtilia argumenta, non acutissima Philosophorum apta reperiuntur ingenia.* Ingeniosè laudat Dei Matrem S. Petrus Damianus. orat. de Nat. B. V. Et iterum serm. 3. de Nat. B. V. *Et quid mirum, hæc ineffabilis Virgo, in suis laudibus, modum humana vocum perat, cum & ipsam humani generis naturam, excellentiorum meritorum dignitate transcendit? Ad laudem enim, & gloriam pertinet Salvatoris, quidquid honorificum sua impensum fuerit Genitrici.* Seraphicè observat S. Bonaventura, Psal. B. V. 67. Ac tandem in Beatissimæ Virginis laudes erumpit S. Cyrillus Alexandrinus. homil. cont. Nestorium. *Sit tibi sancta Dei Mater laus: tu enim es pretiosa margarita orbis terrarum: tu lapsus inextinguibilis, corona virginitalis, sceptrum orthodoxæ fidei, templum indissolubile, continens eum, qui nunquam contineri potest, Mater & Virgo! Tu nobis à cælesti sponso tuo Spiritu S. gratiam impetra, cujus auxilio, dignis Conceptæ laudem tuam reverentialiter deducamus.*

CONCEPTUS I.

Narracleotam Matrem suam, quam intimè amaverat Lysander Romanus Bellidux invictus, in publico congressu laudari desideraverat, ad cuius instantiam magnus ille Orator Niceratus, depictum in tabulâ candidissimâ zodiacum gerens, encomium suum paucissimis hisce verbis in compendio comprehendit, dicens: *Ad laudes Matris Princeps hoc sufficit unum, quod Roma solem Narracleota dedit.* Quo indicare voluit ingeniosus panegyrista, Narracleotam quamvis aliæ virtutes redant laudabilem, ex eo tamen, quod tanti herois, qui Romæ afflicta lætus sol ortus est, Mater extiterit, omni laude dignissimam censi debere, ac non immeritò felicem Romæ auroram nuncupari posse, quam felici signo zodiaci sol oriens, Romam triumphaliter ingrediens Lysander subsecutus est. In tuis laudibus occupatos quibus te, ô Virgo Maria! encomiis dignè deprædicabimus? etenim innumeræ virtutes ac merita, quibus te gratiâ plenam cœlestis nuntius salutavit, infinitæ laudis subministrabunt fontes, de quibus innumeræ tibi creaturæ condignam laudem deponant. Sed panegyristam Marianum audire libeat S. Thomam de villâ novâ. Conc. 2. de Nat. B. V. *Quid amplius quaris? quid ultra requiris in Virgine? Sufficit tibi, quod Mater Dei est.* Hujus igitur ad laudes Matræ tibi *Jesu hoc sufficit unum, quod mundo solem Virgo Maria dedit.* Unde meliori Jure quàm Narracleota felix aurora compellari meruisti, quam non urbi, sed orbi, sol verus justitiæ Jesus Christus Filius tuus pro universâ generis humani salute subsecutus est. Melliflua sunt verba S. Bernardi. in deprecat. ad. B. V. *Sicut aurora valde rutilans in mundo progressa es, ô Maria! quando veri solis splendorem tue sanctitatis jubare præcurristi: felix aurora, felix diei extitisti nuntia, ipse enim sol justitia de te processurus ortum suum quadam matutinâ irradiatione præveniens, in te lucis sua radios copiosè transfudit, quibus potestates tenebrarum, quas Eva produxerat, in fugam conver-*

Confirmatio, seu Deductio.

visti, atq; ita desideratum cunctis gentibus solem, mundo revelasti. O Virgo Dei Mater! quam tanta maternitas omnium dignissimam, cælo exhibet ac mundo,

CONCEPTUS II.

Pretiosa & artificiosa opera magistralia ab universis laude digna censentur, regum enim sapientissimi Salomonis sententiâ: *In manu artificis opera laudabuntur.* Eccles. 9. cap. 10. à pulchritudine Helena, ab hilaritate Euphrosina, ab inimitabile Pantasilea, à prudentiâ Camilla, ab audaciâ Cleopatra, Semiramis à generositate, à fortitudine Artemisia, Tammeris à constantiâ, à consilio Zenobia, à virilitate Hippolyta, ab aliis virtutibus sexcentæ aliæ mulieres commendantur. Annon benedicta in mulieribus Virgo summi artificis perfectum est, de quâ idem sapiens mentionem fecit Eccles. 43. cap. *Vas admirabile, opus excelsi.* Nec non doctissimus Doctor de Contemplat. V. cap. 10. *Inter omnia opera aeterni spiritus, post operationem illam, quâ natura nostra unius est Filii sui, speciale opus fuit, ô Beatissima Virgo Maria!* Opus nimirum manu artificis summi elaboratum, ac omnium creaturarum virtutibus singulari diligentia perfectum, cujus profunditatem contemplationem devotè nobis exhibet S. Ecclesie Doctor Hieronymus, & cum eo S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, in hæc verba: *Considerandum est, Mariam perfectissimam fuisse Dei imaginem, ab ipsa Deo, summi arte, & singulari providentiâ depictam; Maria est supernatur aliter pulchra, pulchrior luna, lucidior stellis, clarior sole, purior angelis, cunctis Martyribus generosior, singulis Confessoribus religiosior, omni Doctore sapientior, zelosior Apostolis, castior quam omnes Virgines, omnibus uxoratis facundior: obedientiam Iocabe, Rebecca mansuetudinem, Rachelis pulchritudinem, diligentiam Ruth, prudentiam Abigail, fortitudinem Judith, humilitatem Esther, habes in Mariâ.* Si ergo sapientis Oraculo, operum manu artificis laude digna sunt, certè Maria opus excelsi

manu summi artificis, id est, regina cœli à dextris Dei, omni laude erit dignissima.

CONCEPTUS III.

Laude dignus est hortus, qui colorum varietate conspicuus, odore aromatum suavis, dulcedine fructuum delectabilis, florum pulchritudine non est inacceptus: commendari fons meretur, qui salutarium aquarum multitudine liberalis est, & inexhaustus: Deum ipsum encomiasten habet terra Chanaan, quæ tam nobili fructu fœcunda erat. Nonne hortus deliciarum, areola Dei Maria Virgo est, de quâ flos pulcherrimus Iesus Christus ascendit? ille inquam flos, de quo ipse canit: *Ego flos campi, & liliu[m] convallium.* Cant. 4. cap. *Verè hortus deliciarum* (scribit S. Hieronymus tom. 9. epist. 19. de Assumpt.) *in quo consista sunt universa florum genera, & odoramenta virtutum.* Et S. Bernardus. in Deprecat. ad B. V. *Meritò de Dei areolâ, flos ille speciosus pro filio paradisi electus est, super quem requievit Spiritus Domini.* An non benedicta Virgo fons ille vivus est *aqua salientis in vitam æternam,* de quo Christus prædixit mulieri samaritanz. Joan. 4. cap. & sponsus cecinit. Cant. 4. cap. *Fons hortorum, & puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Quæ verba ad Virginem Deiparam dirigit Richardus à S. Laurentio. lib. 4. de laud. B. Virg. *Sicut fons per subterraneos meatus semper recipit aquam, & semper refundit; sic Beata Virgo fons & puteus est aquarum viventium, quæ à Christo ad ipsam, & ab ipsâ ad nos fluunt, impetu de Libano, id est, de Candore benignitatis utriusq[ue].* Accedit S. Gregorius Thaumaturgus, serm. 2. de Annunt. B. V. *Hæc fons perennis, in quo aqua viva scaturivit, atq[ue] produxit Domini in Carne Adventum.* An non fœcundior terrâ Chanaan Virgo Maria fuit, quæ Deum ipsum, qui est bonum super omne bonum, in virginali ejus utero Incarnatum, optimum itaque fructum ventris sui nobis protulit. Ita seraphicè S. Bonaventura in Spec. B. V. Lect. 5. *Terra quoque Maria fuit,*
qua

qua

qua fructum illum nobis protulit, de quo Prophetas ait: Terra dedit fructum suum. Sive ergo hortum deliciarum, sive fontem aquæ vivæ, sive terram fecundam, in Mariâ Virgine Dei Matre contempleris, semper omni laude dignissimam contemneri necesse erit.

CONCEPTUS IV.

Tria merita in viro requirit sapiens, ad hoc ut laudabilis dici possit. Primò, ut nulla inveniatur in eo macula: Secundò, ut post aurum non abeat: Tertiò ut spem suam, in pecuniæ thesauris non ponat; virum hæc omnia tria habentem inveniri posse, quasi dubiat sapiens, & ideo quis ille sit quærit, ei que universalem laudem deponere promittit. *Qui inventus est sine maculâ, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris, quis est hic? & laudabimus eum.* Eccl. 31. Cap. Christo excepto, virum hæc tria habentem inveniri vix posse, non diffiteor, sine maculâ enim nullus ab Adam enim protoparens noster peccati sui maculâ, omnes posteros originaliter maculavit; quæstio tamen non levis est, an reperiri non possit fœmina, quæ inventa sit sine maculâ, quæ post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Una de omnibus reperitur. Quæ est hæc? & laudabimus eam. Maria Virgo est, in hac solâ nec originalis nec actualis peccati macula inventa est. De hac sponsus canit: *Una columba mea, perfecta mea.* Cant. 6. cap. Et iterum 4. cap. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Nam licet sol purissimus totam terræ spheram continuò pertransit, nequam tamen terræ sordibus vel in minimo maculatur; sic Beata Virgo cum hominibus in terris conversata, humanos errores non attraxit, neque peccatorum sordibus maculata est, sed tota pulchra permansit, ita ut macula non sit in eâ. *Quæ enim sanctificata in utero, ab omni culpe originalis fuerat libera, non contagio* (inquit S. Laurentius Justinianus, serm. de M. B. V.) *Gratia plenitudinem, quam mente perceperat, protulit.*

debat exterius; tota pulchra, absque delicto, sine mentis & corporis deformitate, Deo & hominibus amabilis habebatur. Quod autem Maria Virgo, neque abiverit post aurum, neque speraverit in pecuniæ thesauris, satis & abunde probat maxima ejus paupertas, ob quam: *Non erat ei locus in diverforio.* Si enim media Dei Mater tunc temporis habuisset, procul dubio locus ei in diverforio fuisset; unde quamvis Dei Filio Christo Jesu; regium palatium, aurea incunabula, fascia sericea, mollia denique pulvinaria fuissent convenientia, in Bethlehmitico tamen stabulo, vili præsepio, duro stramine, acutissimo fœno superimponi, ac miseris fasciis involuissus est, dignissimus filius paupertate Matris contentus. Addit Dionysius Carthusianus in Lucam. *Maria à parentibus hereditatem bonam suscepit. Nec dubium, quin tres Magi, in die Epiphania pretiosa Christo dona obtulerint; sed Virgo, inspirante ei Spiritu Filii sui, omnia tenuissima necessitati, hoc est, parcissimo victui, atq; tegumento superflua, per se, vel potius per manus Joseph, erogavit egenis.* Narrat & S. Lucas cap. 8. de aliquot mulieribus, quæ Christum Dominum suis facultatibus sustentabant, non ut paratissimam voluntatem obsequiosissimæ, & charitate in filium ardentissimæ Matris supplerent, sed ut paupertati utriusque mediis convenientibus subvenirent. *Mulieres aliqua, quæ erant curata à spiritibus malignis, & infirmitatibus, Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem demonia exierant, & Joanna uxor Chusa procuratoris Herodis, & Susanna, & alia multe, quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* En quàm apertum divitiarum campum Mariæ Virgini fallax mundus aperuit, quæ tamen omnem in pauperes maternâ benignitate erogavit, quatenus se eam esse, ipso facto exhiberet, quæ inventa est sine maculâ, quæ post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris. Quam ergo requisitis à Salomone meritis præfulgentem cognovimus, dignissimis præconiis laudabimus eam.

Epilogus.

Ad deferendum hoc humillimæ laudis homagium, Virgini Dei Matri Mariæ omni laude dignissimæ, cohortamur nos finamus mellifluis verbis S. Bernardi serm. de Annunt. l. V. Levemus ergo cor nostrum cum manibus ad eam, & appropinquemus ei passibus amoris, immolantes ei Hostiam laudis, reddentes ei vota nostrâ de die in diem, de horâ in horam, dicentes assiduè. cum S. Andrea Cretensi. Orat. de Annunt. B. V. Salve letitia organum, per quod delicti nostri condemnatio expiata est ac veri gaudii plena facta compensatio est: Salve vera benedicta: Salve illuminata: Salve magnificum divina gloria Templum: Salve consecratum Regis palatium: Salve Thalame, in quo Christo humanitas desponsata est: Salve electa Deo, antiquam nata fueris: Salve divina cum hominibus reconciliata. Amen.

Tu nos exaudis, nemini pia viscera claudis,
Virgo parens Domini, vera salus hominum,
Experies fraudis, quid ni dignissima laudis,
Angelus acclamet gloria, mundus amati.

